

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Nachträge und Berichtigungen zu Bd. 1 - 3. Register zu Bd. 2, 3 und 4,1

Schulte, Aloys

Straßburg, 1898

1268

[urn:nbn:de:bsz:31-326727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326727)

250. *Das Straßburger Domcapitel trifft Verfügungen über die Feier des Festes des h. Amandus. 1268 Ende Februar.*

Nos B[ertholdus] prepositus, B[ertholdus] decanus, C[onradus] cantor, M[arquardus] scolasticus totumque capitulum ecclesie Argentinensis omnibus presentis pagine inspectoribus vel tenoris ejusdem auditoribus volumus esse notum, quod, cum ⁵ hactenus in festo sancti Amandi confessoris et pontificis, qui primus fuit episcopus nostre ecclesie, non legerentur nisi tres lectiones in matutinis in choro ecclesie nostre, nos in capitulo nostro de communi consensu et voluntate omnium nostrum, supplicante nobis super hoc humiliter et devote magistro Gervalco prebendario ecclesie nostre, sic duximus statuendum ad laudem et honorem omnipotentis dei et ¹⁰ gloriose ac beate semperque virginis Marie atque ipsius sancti Amandi, quod deinceps imperpetuum legentur in choro nostro in matutinis novem lectiones in festo ejusdem sancti Amandi. quod festum^a erit semper tertia die ante festum apostolorum ¹⁵ Symonis et Jude. qui magister Gervalcus, ut canonici et prebendarii ecclesie nostre tanto frequentius et libentius in dicto festo sancti Amandi interesse velint matutinis ²⁰ et misse, emit seu comparavit de sua pecunia quartam partem aree cujusdam domus site inter pabularios versus macellum, que olim fuit pabularii dicti Capeten, solventem annuatim in censu quatuor uncias et quinque denarios in festo nativitatis domini et tantundem in festo sancti Johannis baptiste imperpetuum. quam quartam ²⁵ partem aree et censum ipsius idem magister *Gervalcus* dedit contulit et donavit ecclesie nostre pro anime sue remedio tenendum imperpetuum et possidendum sub hac tamen forma, quod portarius ecclesie nostre, qui modo est et posthac pro tempore fuerit, faciet recipi eundem censum et dividi per nuntium suum annuatim in choro nostro inter canonicos et prebendarios, qui tunc presentes fuerint, in matutinis quatuor ³⁰ uncias et in missa quatuor uncias. reliqui vero decem denarii, qui supersunt de dicto censu, sic dividuntur: sacerdoti in dicto festo celebranti dabuntur duo denarii, similiter diacono duo et subdiacono etiam duo denarii illa die legentibus evangelium et epistolam in choro ad missam. reliqui autem quatuor denarii dabuntur sacristis, ut ministrent et pulsent in dicto festo sancti Amandi. sicut consuevit ministrari et pulsari ab eis in festis aliorum sanctorum, quando novem lectiones ³⁵ leguntur in choro nostro. et si hoc forte facere noluerint vel neglexerint, nichil dabitur eisdem. ut autem omnia premissa deinceps imperpetuum firma et stabilia servantur tam a nobis quam a nostris successoribus, sicut sunt predicta, presens litera loco publici instrumenti confecta regule nostre, sicut moris est et consuetudinis, de nostro consensu est inserta. actum anno domini 1268 circa finem mensis fe- ⁴⁰ bruarii.

M aus Melker Codex fol. 44^o. Eintrag von gleichzeitiger Hand.

^{a)} Folgt *Raver*.